


243



241

247

gues, in posteriori vero parte, cauda et cruribus habent leonis
formam, et habent posteriores pedes breviores, et unguis breves
sed magnos, ita, ut de illis unguibus fiant scyphi ad bibendum.
Non inveniuntur haec animalia nisi juxta montes, in quibus aurum
et gemmae abundant, et dicitur, quod effodiunt aurum et gemmas
et in inspectione effosorum gaudent et ludunt atrocissimoque
bello zelant et defendunt. Siquidem in Asiatica Scythia, ubi sunt
terrace locupletissimae, sed inhabitabiles hominibus, imo inacces-
sibles nisi ipsis Arimaspis, qui dicuntur homines esse ferocissimi
unum tantum oculum in fronte habentes, hi armati contra gry-
phos procedunt eisque aurum et gemmas auferunt. De hac gem-
marum et auri a gryphonibus custodia loquitur Hieronymus in
epistola ad Rusticum monachum.

237

252

232

292

192

342

142

Non solum autem gryphes, sed aliae horribiles bestiae in
illis regionibus sunt constitutae, ut pardi, tigrides, pantherae, et
canes tantae magnitudinis et tam immensae feritatis, ut taurum
perimant et leones occidunt. Hos horribiles custodes Deus (**b**)
locavit ad aurum et gemmas, ad cohibendum humani cordis cupi-
ditatem et avaritiam.

Igitur stante me juxta sarcophagum praedictum jaspideum
preiosissimum et mirante, quis victor gryphorum tam ingens
saxum depraeclatus fuerit et cui hoc sepulchrum impreiabile ex-
cisum sit, incidit mihi, quod forte tempore gigantum, qui gry-
phones et centauros prosternebant pro sepultura Veneris, quam
pene omnes dii venerabantur, allata fuerit, et usque huc dere-
licita. Non enim aestimo, umquam regem aliquem tam immensi
pretii sepulchrum habuisse, cum auro pretiosius sit, cui se Ale-
xander M. moriens includi praecepit. Me ergo sic stante et co-
gitante quidam canonici per medium ecclesiae simul ascendebant
et descendebant exspectantes finem pulsus vesperarum; ad hos
accessi petens ab eis, cui deo vel deae, vel cui regi aut do-
mino fuisse haec incomparabilis tumba parata? Illi ergo canonici
mecum capellam sunt ingressi, et recitaverunt mihi de hac tumba
historiam longam et valde delectabilem, et licet eam historiam
numquam in aliquo libello legerim nec audiverim alias, tamen
dictis fidem adhibui et audita Evagatorio inserui, et si non ita
est ut scripsi, tamen sic est quod audivi, et sicut sine culpa au-
divi, sic absque culpa scripsi, et absque culpa potest legi et sine

Ende

Anfang